DE
PARABASI

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE

FRIDERICA GVILELMA

PRO

SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

RITE CAPESSENDIS

DIE XVII. JVNII A. MDCCCLXV.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

HERMANNVS GENZ

MARCHICVS.

ADVERSARII ERVNT:

GEORGIVS SCHVLZE, STVD. PHIL.
GEORGIVS SCHAEFFER, STVD. PHIL.
ERNESTVS DAHN, STVD. PHIL.

BEROLINI

TYPIS A. W. SCHADE.

[1865]

DE PARABASI.

PARS PRIOR.

Parabasis quae dicitur comoediae Graecae antiquae pars est nobilissima cujusque ex notitia multa ad intellegendum recte ipsum illud poëseos genus hauriantur. Quod cum viderent V. D., quicunque huic generi operam dederunt, ii hanc quoque partem non neglexerunt, nec desunt, qui parabasin studiis singulis elegerint. Sed cura Kolsteri [1]), Koesteri [2]), Kockii [3]), quorum aetate primus bene ac feliciter in hac re fecit, multa tamen reliquit dubia et obscura. Quare metus non est, qui Carolum Kockium agitat, ne cognita cognoscere studeat: imo post C. Kockium multa terra incognita restat. Allicit nos; quare eo confestim iter est ineundum.

Nota et certa non repeto, nisi novas quaestiones juvant. Nomina parabaseos ejusque partium lexicographi Graeci et scholiastae Aristophanis satis plane et accurate tradunt [4]) ita, ut a recentioribus fere omnia recte

---

1) Kolster, de parabasi veteris comoediae Atticae parte antiquissima, Altonae 1829.

2) Koester, de Graecae comoediae parabasi progr. Sund. 1835.

3) C. Kock, de parabasi antiquae comoediae interludio. progr. Tangl. 1856.

4) cf. G. Hermanni elem. doct. metr. pag. 720, ubi loci gravissimi collecti sunt.

intellegantur. Rectum habet schol. ad Achar. 604 et alia. Schol. ad Nub. 510 nonnihil confundit. Legimus enim, postquam recta et bona partium enumeratio finita jam est: τινὲς δὲ προςτιθέασι καὶ ᾠδὴν καὶ ἀντῳδήν. Nec si poëtae ipsi nec si interpretatores (Alexandrini v. g.) intelleguntur, bonum habent sensum haec verba nec veritatis ullam speciem. (Tamen fallere potuerunt Koesterum qui ᾠδὴν et στροφὴν diversas putavit (p. 11). Mittendus hic locus est, qui errorem clamat, nos dubios reddere non potest. Ὠιδὴ et στροφὴ diversa nomina sunt ejusdem rei, quorum alterum melicam esse hanc parabaseos partem, alterum κατὰ σχέσιν eam compositam esse significat. Quod utrumque scholiastae diligenter notare solent eamque ob rem nomina ᾠδὴ καὶ στροφή, ἀντῳδὴ καὶ ἀντιστροφὴ plerumque conjungunt. Nomina epirrhematis et syzygiae epirrhematicae, commatii et anapaesti, qui etiam parabasis proprie dicitur, nihil dubii habent. Pnigos, quae pars nominatur, aliud habet nomen „τὸ μακρόν". At scholiastes ad Arist. Aves, v. 723, quo versu pnigos incipit, id dicit ἔκθεσιν τοῦ μακροῦ, unde suspexeris hunc scholiasten anapaestum appellare τὸ μακρόν. Quod si fecit, erravit turbatus inde, quod pnigos non ita longum anapaestoque certe brevius esse vidit. Cum scholiorum permultorum consensu pnigos τὸ μακρὸν nominetur, dubii fieri non possumus; praesertim si macrum (a. Boeckhio moniti) quasi pro uno versu longo accipimus. Tum ne „τὸ πνῖγος" quidem nomen mirum videtur, cum versus perlongus, etiamsi non ἀπνευστὶ pronunciatur, (mitto quaerere, num ad Aristophanis comoediarum has partes aptum fuerit uno spiritu recitare: quod Kolsterus affirmat, Kockius negat) certe speciem quandam trepidi et exhalantis cursus praebeat.

Ipsam jam naturam poëmatis nominibus his tam

variis descripti ut totam cognoscamus, ratio semper habenda videtur cunctae comoediae, tum autem quaerendum est primum, quomodo orta sit parabasis atque exculta, deinde quibus legibus sit ficta atque coercita.

De parabaseos fatis nihil cum continue traditum acceperimus, niti cogimur in notis parcis ac saepe parum planis grammaticorum, lexicographorum, scholiastarum, et quae pluris aestimanda sunt, in fragmentis poëtarum ipsorum, quae Aug. Meineckii opera (Comici Graeci vol. II et Aristophanis editio) accurate collecta et edita habemus. In comoediarum reliquiis ne tempora confundamus cavendum est. Aristophanis comoediae eae, quas totas habemus, duces nobis sunt. Recentiorum enim comoediarum parabases lege minus accurata ordinatas videmus, cum e prioribus lex certa et severa effici possit. Quodcum parabasin paullatim abolitam esse, simul etiam totam comoediae speciem, quae antiqua nominari solet, periisse constet, facile cognoscas formam illam concinnam legemque severam parabasi florenti addicendam esse. Liceat Aristophanis comoedias priores aliorumque poëtarum aequales aut paullo vetustiores a recentioribus secernere, (quae licentia nobis, ubicunque ea usi aliquid demonstrabimus, defendenda erit). Recentiores cum aequalibus imaginem ruinae, priores imaginem floris, id est veram parabaseos imaginem nobis praebebunt. De nascente parabasi cum nec traditum quidquam acceperimus nec exemplum ejus ullum habeamus, sola legitima forma veri quid nos docere potest; quam nisi omnibus recentioris negligentiae maculis vacuam et integram cognoscemus, certum incidemus in errorem.

His praemonitis venimus ad propositum. Oritur quaestio gravissima haec, num parabasis (non dico nomen sed rem) antiquitus sit cum comoedia nata et

paullatim aucta, an habenda sit pro invento poëtarum, quod generi comico jam florenti sit adlatum. Non dubito illam sententiam profiteri, quae parabasin antiquissimam comoediae partem esse vult; idque jam studeo argumentis probare.

Parabasis e contrario stat cunctae comoediae reliquae. In qua cum variae personae inter se sermones faciant, in parabasi chori fit oratio ad spectatores; cum illa fabulam quandam (in provectiore quidem aetate) habeat, aut certe actionem, parabasis extra fabulae actionisque nexum stat; cum reliquae partes, quoniam comoedia omnino drama sit necesse est, dramaticae revera sint, parabaticae contra multo magis lyrico quam dramatico generi sunt adnumerandae. Conjunctio inter diversas partes solum est poëtae consilium, copula autem chorus, qui tum parabasin recitet, tum actionis fabulaeque fiat particeps.

Traditum nobis satis est a veteribus, ex quo intellegamus dramaticam partem dramaticamque ideam in comoedia Attica paullatim adolevisse. Cratinus genus comoediae antiquae perfectum reddidit. Cujus aequalis Crates primus teste Aristotele (poet. VI) ἀπὸ ἰαμβείας ἰδέας ἀφέμενος λόγους καὶ μύθους ἐποίησεν. Λόγους καὶ μύθους recte intellexit[1]) Hermannus ejusmodi argumenta, quae implicationem aliquam atque solutionem haberent, hoc est fabulas vere hoc nomine dignas. Fabulas igitur melius compositas Crates primus

---

1) Quod Meineckius Com. Gr. I p. 59 objicit jam Cratinum tales fabulas fecisse nihil valet. Multum enim Mein. dedit operam ad demonstrandum id: Cratetem Cratino aetate esse minorem. Argumenta quae affert parum valent: Cur non satis habemus aequales eos dicere? Quid vetat putare utrumque ab altero didicisse? a Cratete bonam comoediae fabulam, a Cratino bonam formam esse inventam?

comoediae dedisse videtur. Tamen omnis antiqua Atheniensium comoedia concinna et unica fabulae compositione non ita excellit, qua certe virtute recentior comoedia se ornavit. Poëtis autem Cratete majoribus certam fabulam plane abjudicare cogimur. Quorum comoediae series modo fuisse videntur scenarum variarum. Non tamen hae actione dramatica caruerunt. Nam Magnetis jam comoediae, quamquam ob formam priscam ad theatri culti usum non aptae erant nec placebant populo, qui curiosior factus esset, (vide parab. primam Equitum) non inepta tamen argumenta habuisse videntur. Hoc inde suspexeris, quod recentiorum poëtarum διασκευαῖς[1]) recolebantur et ita servabantur. Sed etiam haec argumenta et omnis actio paullatim in comoediam illata sunt. Adsentior Meineckio[2]), qui Eustathium ad Odyss. 1855, 21 laudat: Μύλλος, ὅπερ ἔστι κύριον ὑποκριτοῦ παλαίου, ὃς μιλτωτοῖς φασι προςωπείοις ἐχρήσατο et addit: „documento est, jam tum scenicas comoedias inventas esse. Videtur Attica comoedia eas ex Megarica Siculorum sumsisse.“ Nam ad Siculam comoediam pertinere censeo, quod Athenaeus XIV p. 659 praecipit. Personae enim Maesonis (τοῦ μαγείρου, τοῦ θεράποντος) firmae sunt et certi typi (ut ita dicam), quales comoedia Italica, Graeca et Romana, etiam postea praebuit. Has quidem comoedia Attica repudiavit, attamen actionem dramaticam a Dorica usurpavit (ut nomen κωμῳδίας fortasse ipsum cf. Arist. III, 5 poët.). Quid tandem habuisse videtur ab incunabulis proprium? Chorum puto, quem contra nulla reliquarum gentium comoedia habuit. Hunc actorem fuisse comoediae Atticae antiquissimum (quam τραγῳδίαν recte

1) cf. Photius pag. 233, 20: Λυδιάζων · Λυδοὶ Μάγνητος τοῦ κωμικοῦ διεσκευάσθησαν, et Suidas s. v. Λυδοί.

2) cf. Com. Graec. I, pag. 27.

dixeris nomine certe Attico) si non clare traditur, constat tamen ex origine comoediae a phallicis capta et ex origine tragoediae, quae quamvis diversa a comoedia semper fuerit, hoc tamen cum ea simile habet, eundem a choro aliquo ortum. Quocum bene congruunt inscriptiones comoediarum vetustarum nobis traditae, quae omnes a choro sumtae sunt. Stare videtur quodammodo chorus Atticus e contrario dramaticae partis, ab externis acceptae. Ex parte autem chori stat parabasis. Actio enim parabaseos chori munus gravissimum fuit et si mittimus, quod dramatica idea subcrescens eum agere jussit, cum canticis nonnullis atque etiam his parabasi simillimis fere solum et omne. Cum autem chorus comoediae actor sit antiquissimus, antiquissima fuisse videntur etiam chori carmina et sermones parabatici. Porro: parabasin antea lyricam diximus, quam accuratius iambicam dicemus. Unde sequitur, si quidem Aristotelis verbis ἀπ᾽ ἰδέας ἰαμβείας comoediam antiquam ad dramaticam progressam esse aliisque ejusdem praeceptis, qui saepius poësin iambographorum quasi parentem comoediae laudet, et aliorum de comoedia Nisaeorum Megarica (cf. Meineck. Gr. com. 18—24.) monitis fides habenda est, parabasin ad antiquissimam comoediam pertinere. An secus censebis? Cum pars comoediae dramatica quasi e nuce creverit, num parabasin quoque e parvulo semine ortam esse credideris? Quantula jam erat prima comoedia? Quod ne videatur leve atque ineptum, exponamus accuratius. Natura parabaseos dramaticae ideae opposita est; interrumpit haec et excedit fabulam. Quomodo fieri potuit, ut poëtae, qui jam fabulam bonam pluris aestimare coepissent, qui jam ex lyrica idea comoediam paullatim expedivissent, qui magis magisque dramaticam ideam dramaticamque comoediae partem auge-

rent, simul e contrario niterentur et parabasin novum lyrici generis monumentum dramatico quasi antidotum fingerent? Num, ut forte unus aliquis id conari potuerit, omnes unusquisque ejusdem aetatis poëtae contraria et quodammodo pugnantia secuti sunt? Hanc vanam opinionem magis insuper improbat forma parabaseos antificiosissima et cum licentia quadam exstructa. Priores Aristophanis comoediae satis puras hujus formae imagines nobis praebent. Diversa consilia inter parabaseos partes licenter distributa, formae licenter variatae, quamvis magna arte sint ordinata et composita, aut ex ingenio plane miro profecta sunt, aut una unove ex consilio inventa esse non possunt. Mirum tale ingenium ut semel exstiterit, num alios inventum ejus probasse et in suum vertisse credibile est? Adde quod nunquam exstiterunt poëtae Atticis tenaciores antiqui et majorum laude jam probati, aut qui novi quid instituere magis cauti et timidi fuerint. Hanc timiditatem demonstrat audacia simulata. Nam mutationem ullam vel minimam silentio praeterire non audent, sed commendant blanditiisque quodammodo insinuare student pópulo et gloriantur in ea et superbiunt quasi magni quid conati. Ita Pherecrates Corianno fragmento V metrum paullo mutatum ἐξεύρημα καινόν appellat atque Aristophanes in Vesparum exodo, quod chorum saltantem primus educat, audacem se laudat. Ruina quoque parabaseos idem docet paullatim et tardius facta, cum poëtae florenti comoediae aequales a consueta musa tantum coacti desisterent atque etiam materiam dignam huicque parti propriam manibus suis subreptam diversis modis supplere studerent (cf. Eupolidis Capras, Aristophanis Aves et Thesmophoriazusas). Hoc fecerunt, cum populi major pars novo reipublicae et vitae statu studiisque philoso-

phorum et demagogorum novis jam mutata comoediaeque poëtis prisce moratis adversaria exstiterit. Quid, cum tota civitas illos mores coleret, quorum Aristophanes aliique sunt ultimi et superstites cultores? Ne potuit quidem in illa aetate variandi cupido inquieta ullo modo stare; nec potuit populo veteris moris amantissimo parabasis, si quando novum inventum fuisset, ullo modo comprobari atque imputari. Ex ruina autem et peritu parabaseos nascitur nobis etiam aliud argumentum: quod parabasis, quae aetate comoediae antiquae periit ejusque ipsius quasi finem effecit sua ruina, non eadem in aetate orta comoediaeque illata esse potest. Spero hoc mihi concedere posse ingenii humani ejusque inventorum peritos. Nam si, quod alicui cultus humani generi novum adlatum est atquc ita novam formam condidit novaeque aetatis florem genuit, id postea abjiceretur atque ita exstingueret eandem aetatem et formam, restaret post finem aetatis, quod ante initium constabat nec ullus verus progressus esset factus. Imo: haec sunt fata instituti cujusque ingenii humani, ut cum novi quid jam stanti speciei adferatur, aliquamdiu ex mixtis flos pulcher et clarus eluceat, tum autem e vetere pars quaedam novo adversaria et cum eo pugnans excrescat, quae paullatim eruitur et aboletur. Novum contra magis magisque excultum totam jam speciem illustrare atque explere studet. Ita cum ratione pugnat haec suspicio, parabasin, quae simul cum flore comoediae antiquae periit, cum eo flore ortam ejusque genetricem esse, prisca autem et nascente in comoedia nullam fuisse. Contra maxime probanda est opinio haec: cum parabatica pars primitias comoediae paene sola tenuerit, subcrescentem partem dramaticam aliquamdiu cum parabasi conjunctam florem antiquae comoediae effecisse, paullatim hanc cum inte-

ritu ejus speciei poëticae ut adversariam expulisse, denique ipsam magis cultam et auctam occupasse omnem comoediam mediam.

Quodsi parabasin uno ex consilio inventam comoediaeque jam stanti illatam non esse constat; quem alium originem veresimilius ei vindicare licet? Quod alii de ea re censuerint atque protulerint, diligenter quaerendum nobis est, nec tamen hoc loco exponendum. Neque enim nostram opinionem multum juvat neque ei obstat. Falso judicasse videntur, qui non intellexerint: parabasin non esse carmen totum atque unicum.

Partes autem distinguendae sunt tres: anapaestus, cui adhaeret macrum, cantica, partes epirrhematicae. (Commatium pro exordio stat: atque ex reliquis pendet.) Videmus has partes non semper junctas adhiberi sed nonnullas separatim poni potuisse. Unde sequitur commentum gravissimum hoc:

aut hae partes inter re diversae plane non sunt, sed junctae idem volunt quod singulae et singulae aliarum atque junctarum locum explere possunt, aut si quid differunt, singulae sui juris sint necesse est, neque possunt ullo modo pro carminis totius membris haberi.

Jam vero nemo non videt, has partes diversas esse forma metrica, quae cuique alia certissime constituta est. Quare profiteor carmen totum non esse agnoscendum. Id jam solum objicere mihi potuerit quispiam licenter metra esse variata, cum partes ipsae praeterea eandem habeant indolem. Quod num credibile sit, videant qui poëtas Graecos bene noverint. Equidem censeo horum ingenium atque artem clarissime lucere in consiliis formisque apte consociandis. Quodsi membra carminis unius non habemus, non spes est, sed opinio praejudicata originem partium illarum fore eandem. Quare id praecipue

cavendum jam est ne partes confundamus. Ex singulis recte constitutis atque viis secretis singularum radices investigandae nobis jam erunt.

Melicas partes ut primum spectemus, statim cognoscimus saepe eas continere hymnos, qui a reliquarum partium parabaticarum argumentis alieni sunt. Unde apparet etiam tum, si quando argumentum reliquis partibus similius praebent, hoc ex arbitrio poëtae ita esse institutum. Necessarii tamen consilia canticorum cum reliqua parabasi nihil habent. Contra si melicas parabaseos partes cum reliquis comoediae comparamus, nullum plane discrimen inter eas intercedere videmus. Non modo carmina hymnica sed etiam talia extra parabaseos nexum inveniuntur cantica, quae certam similitudinem habeant cum parabasi non melica. Cantica igitur parabaseos non tam cum reliquis partibus parabaticis quam cum reliquis comoediae melicis conjungenda sunt. Unde verisimile est omnium canticorum etiam originem eandem esse. Quales autem radices chori canticorum omnino sint, et quibus ex initiis chorus comicus ipse adoleverit, et quae origo totius comoediae antiquae Atticae sit, una atque eadem quaestio est. Paucissima, quae de ea re traduntur, multi explicare conati sunt. Ingeniose Guil. Schneiderus[1]) in libello de comoediae origine disputavit et tamen interdum falsa, saepe incerta constituit. Si viri docti hujus quaestionis se impares dicant hoc non improbaverim; improbo tamen quosdam (ut C. Kockium) quaestionem plane misisse, quae solvi non posset, cum Aristoteles ipse de ea re se nescium confessus esset. Quod nusquam me apud Aristotelem invenisse gaudeo. Dicit enim philosophus[2]) non αἱ μεταβάσεις τῆς κωμῳδίας

1) G. Schneiderus, de origine comoediae. diss. Vratisl. 1819.
2) cf. Arist. poet. V. 3.

λανθάνουσιν, sed αἱ τῆς τραγῳδίας μεταβάσεις οὐ λελήθασι, ἡ δὲ κωμῳδία διὰ τοῦ μὴ σπουδάζεσθαι ἐξ ἀρχῆς ἔλαθεν: hoc non est: ab initio usque ad hoc (Aristotelis) tempus ἔλαθεν, sed: dum non σπουδαία erat. Aequalibus igitur ejus aetatis (τοῦ μὴ σπουδ.) incognita et contempla erat, quare Aristoteles nihil de ejus incunabulis traditum accepit neque ita cegnovit nomina eorum, qui πρόσωπα, προλόγους, πλήθη ὑποκριτῶν ei dedissent. Nihil autem de comoediae mutationibus conjiciendo evinci posse, hoc Aristoteles non dicit neque ita nostros homines quid in hoc genere conari vetat. Equidem nihil audeo nisi nonnulla componere, quae nostrae quaestioni lucem afferre videantur.

Ortam esse comoediam a phallicis ex Aristotelis poët. IV. 12 constat. De phallicis Kolsterus longius exponit neque tamen omnino ad bonum usum quaestionis, quae ejus et nostra est. Athenaeus[1]) ubi de phallophoris et ithyphallis agitur poësin phallicam describit, qualis recentiore aetate (Demetrii Phalerei) fuerit neque haec ita multum valent si agitur de festis prisci temporis rusticis, quales erant τὰ κατ' ἀγροὺς Διονύσια ab Aristophane in Acharnensibus (v. 263) descripta. Animadvertenda mihi videntur haec: primum, cum tragoedia ex dithyrambo profecta sit jam omni arte (ab Arione et Laso[2]) exculta, orta est comoedia ex canticis phallicis sine arte fictis subito a quolibet inventis, cumque illa ab incunabulis in magno honore et pro vero poëseos genere habita sit, haec diutius, cui simile quid omnes fere Graeciae gentes[3]) habebant, rudis et inculta rusti-

1) cf. Athenaeus pag. 622 C.

2) cf. Schol. Pind. Ol. XIII, 25. Schol. Arist. Av. 1403.

3) cf. Athenaeus pag. 621 D. appellat δικηλικτάς apud Lacedaemonios, φαλλοφόρους apud Sicyonios, αὐτοκάβδαλους apud alios, φλύακας apud Italos, ἐθελοντάς apud Thebanos,

corum in manibus mansit. Deinde cum dithyrambi et tragoedia chorus semper fuerit et publicus atque ita certo numero certoque ordine instructus, et stabilis (in dithyrambo dictus cyclius) in certo et comparato loco quasi in scenam missus, comicus chorus fuit diu ἐθελοντής,[1]) id est privatus, non tam certo constitutus, ortus ex turba phallica, quae nunquam chorus appellatur, sed ut pompa describitur,[2]) ipse agmen mobile et cursitans. Tum, cum dithyrambus factus sit in honorem deorum et inter res sacras habitus, tragicus autem chorus inde sanctam illam atque divinam speciem induerit, videntur phallica semper hilare quid habuisse neque minus ad jocum vulgi quam ad deorum cultum comparata esse; quod multo magis ad comoediam[3]) cadit. Denique ideam iambicam, quam saepe jam attigimus, ab initio jam comoediae insitam esse non modo Aristoteles testis est, sed ea jam ex phallicis, quamvis male docti simus, ex Dicaeopolidis[4]) precibus ludicris (quarum protervitatem poëta fortasse auxit, non est mentitus) et ex phallophororum jocis,[5]) de quibus Athenaeus tradit, potest effici.

Quae hic de choro comico constituimus, pauca sunt, sed ut mihi videtur, certa. Spectanda erant initia chori comici atque diligenter secernenda a tragoedia, quoniam ex his recte intellectis tantum parabasis et reliqua comoedia quomodo adoleverit, cognosci possit. Habemus quod illustret consilium canticorum cum choro ipso cognatorum. Cantica chorica excultae comoediae sive hymnica sive scoptica fluere facile potuerunt ex eis carmini-

---

1) cf. Aristoteles. poet. V 3.
2) cf. Athenaeus pag. 622 D.
3) cf. Anonymus XXXII μόνος ἦν γέλως τὸ κατασκευασμένον.
4) cf. Ar. Ach, 265.
5) cf. Athenaeus pag. 622 D.

bus, quae chorus comicus vetustus nobis descriptus ceciderit. Id solum, quod idea dramatica recentioribus canticis attulit, in istis radicibus non statim agnoscimus. Parabaseos autem cantica cum imprimis nihil cum actione fabulae commune habere soleant, primitiis illis comicae artis proxima esse videntur. Formam horum canticorum ab initio antistrophicam fuisse, ut semper in culta comoedia et plerumque in tragoedia (quae tamen saepe ἐπῳδοὺς adjungit) veri simillimum est. Quod cur ita institutum sit, nescio; nec adsentiri audeo G. Hermanno, (Jen. Literaturzeitung VIII, 122) qui a choris dimidiatis hunc usum ducere studeat.

Quae comoediae particulae praeterea nihil ad actionem fabulae faciunt, inter has cum vetusto choro, atque cum vetustis canticis facillime se jungunt partes epirrhematicae. Nomen ἐπίῤῥημα significat, quod addicitur vel insuper dicitur. Antiquissimum id esse neque re ipsa multo recentius puto, quoniam a natura rei sumtum videtur. Quare ex nomine recte de re ipsa conjecturam facere licet. Ostendit igitur id partem sic dictam parti alicui antecedenti superadditam esse. Sequuntur autem partes epirrhematicae melicis, quibus ab origine adhaesisse videantur. Saepissime enim hae partes junctae et solae inveniuntur, saepe idem habent argumentum. Semel[1]) verba quoque in iis continuari videmus. Eandem hanc consortionem indicat ϛυζυγίας quoque ἐπιῤῥηματικῆς nomen ambabus partibus commune. Evidentius autem idem demonstrat forma metrica. Etsi enim recitabantur partes epirrhematicae et κατὰ στίχον componebantur, antitrophicam tamen formam carminibus recitandes insolitam numero stichorum aequato usurpabant. Quae forma

1) cf. Pac. v. 1159—1190.

nisi ab antecedentibus ducta melicis partibus (stropha et antistropha) explicari non potest. Quodcum epirrhema canticis propinquum prae omnibus reliquis comoediae partibus intellegamus, ad aetatem quoque eorum proxime hoc accedere existimo. Etiam versus epirrhemati proprius atque genuinus, tetrameter trochaicus[1]) et ut versus ab iambographis acceptus et ut hyporchematicus, mobili priscae comoediae aptissimus est. Neque minus bene consilium hujus partis cum illis comoediae radicibus, quas supra notavimus, congruit. (Σκώμματα sunt epirrhemata, ideam iambicam ubique profitentur) Plus tamen de hujus partis origine nos docet dictio, quod sermones cavillantes fiant ad spectatores et contra singulos e spectatoribus. Hoc fortasse ducit in usum nostrum notulas grammaticorum, quod in his tenebris, ubi praeceptis eorum, qui de originibus comoediae aliquid scire potuerint, plane simus delicti, maxime nos arridet. Non frustra agere mihi videtur K. Kolsterus, quamvis nimia et incerta inde eliciat, cum ex usu quodam phallicorum originem epirrhematis enucleare studeat. Athenaeus enim pag. 622 D. habet: εἶτα προστρέχοντες (οἱ φαλλοφόροι) ἐτώθαζον οὓς ἂν προέλοιντο κτλ. Quae praeterea de phallicis narrantur, quaestionem hanc juvare Kolsterus mihi non persuasit. Id tamen, cum spectatoribus egisse phallophoros eosque perstrinxisse, ad phallica etiam temporum vetustissimorum, tum ad chorum priscae comoediae optime referri potest. Minime impedit hoc natura turbulenta agminis phallici et chori comici, cum contra chorus sanctus cyclius et tragicus profanos recedere jubeat et modesto silentio auscultare. Ad eandem rem pertinent, quae narrat Anonymus περὶ κωμῳδίας: necessarios et vici-

2) Aristoteles rhet. 3, 8 poët. IV.

1) XXXI .... Τὸ παλαιὸν οἱ ἐν ταῖς κώμαις ἀδικούμενοι ὑπὸ τῶν

nos ἀδικουμένου τινὸς se congregasse et jurgiis persecutos esse τὸν ἀδικοῦντα. Qui mos per se non mirus, certe tamen clamat vitam rusticam et tempus vetustum: praesertim si fides habenda sit verbis „ἐκέλευσαν πολῖται τοὺς ἀδικουμένους ἐπὶ μέσης ἀγορᾶς τοὺς ἀδικήσαντας κωμῳδεῖν.“ Quod tamen non ita intellegendum puto, ut culta quaedam comoedia jam tum in urbem recepta sit (quod vult Guil. Schneiderus); sed nonnulli vici laudasse videntur (v. c. Icarii) hunc morem eique in publico locum dedisse. Cum mos ille ita probaretur, cum non jam nocte sed interdiu et cum quodam apparatu constituerentur agmina, cum non tam ob justitiam quam ob jocum rustici se congregarent, cum denique jam hominibus nobilibus et propter opes invisis imprimis et ipsi libentissime et ad vulgi gaudium obtrectarent, tum confluxisse videntur cum his phallicae aut similes in vindemiis institutae pompae atque grassationes. Conveniebat (fortasse primos apud Icarios Dionysiacorum sacrorum cultu nobilitatos[1]) cultus hilaris dei cum ludis iambicis atque ita comparabantur primitiae illius comoediae, quam et Aristoteles [2]) et Anonymus[3]) noster in sola democratia constare posse dicunt. Hae primitiae si cantica chorica habebant antistrophica, eis autem si addendi erant sermones ludicri, hi sermones illam formam vel similem, quam nostra habent epirrhemata, induerent necesse erat. Ab initio eos

---

πολιτῶν νυκτὸς ἀνήρχοντο παρὰ τὸν δῆμον ἐκεῖνον, ἔνθα ὁ ἀδικήσας ἦν, καὶ ἔλεγον, ὅτι ἔστι τὶς ἐνταῦθα ποιῶν εἰς τοὺς γεωργοὺς τάδε. καὶ τοῦτο ποιοῦντες ὑπεχώρουν λέγοντες καὶ τοὔνομα. μεθ' ἡμέραν δὲ ὁ δράσας ἐξητάζετο καὶ οὕτως αἰσχυνάμενος ἀνεστέλλετο τοῦ ἀδικεῖν. ὁρῶντες οὖν οἱ πολῖται τοῦτο χρήσιμον τῇ πόλει καὶ ἀδικίας ἀποτρεπτικὸν ἐκέλευσαν τοὺς ἀδικουμένους ἐπὶ μέσης ἀγορᾶς τοὺς ἀδικήσαντας κωμωδεῖν κτλ.

1) cf Athenaeus II, pag 40 B.

2) poët. III. 5.

3) XXXI paullo post locum laudatum.

αὐτοσχεδιαστικοὺς fuisse ex Aristotelis Poëtica[1]) discere licet, eos vero ne metris quidem coercitos fuisse docet Schol. Dion. Thracis p. 748. Huic si credimus, Susario τῆς ἐμμέτρου κωμῳδίας ἀρχηγὸς ἐγένετο, hoc est, is primus partes, quae recitarentur, metris ordinavit. Hoc quin ad epirrhemata referas, non dubius eris, si respicies, cantica semper ἔμμετρα fuisse, praeterea autem vix aliquid comoediae tribui posse ei, quae Susarionis aetate prior sit. Finxit hic huic parti formam metricam quam supra dixi atque ita syzygiam epirrhematicam condidit, etiamsi nomen hoc certe non invenit. Cum praeter cantica et partes has epirrhematicas, ut modo diximus, paene nihil habeamus, quod priscae comoediae vindicare possimus, saepius in una comoedia has partes stetisse puto et continuas vices fecisse. Metus est ne arguar temere haec profiteri. Nec tamen multo plus contendo, quam quod certo constat: cantica chorica ab initio paene sola comoediam tenuisse. A quibus sermones epirrhematicos non ita multum differre testes sunt dubitationes Virorum Doctorum in fragmentis nonnullis atque etiam in Aristophanis Vespis v. 126 seq., num canticum an epirrhema sit agnoscendum. Tamen discerni in vetustissima comoedia potuerunt cantica chori hymnica ab aliis scopticis, quibuscum plane idem volebant sermones epirrhematici. Iterum discerni potuerunt partes quae canebantur (omnes melicae) et quae recitabantur (epirrhematicae).

Transimus ad aliam parabaseos partem gravissimam, anapaestum. Apparet etiam hanc cum dramatica comoedia nihil habere. Jambica ejus natura, chorusque actor vetustis eum comoediae temporibus adscribere videntur. Enarratio consilii longior, tranquillior recentiorem eum

---

1) cf. poët. III.

indicant epirrhemate et natum tum demum, cum sermo praeter cantus jam certum et bonum in comoedia locum occuparet. Indoles hujus partis infra accurate exponetur. Hoc loco id solum monemus, inveniri in ea ipsius poëtae verba, quibus suas res spectatoribus enarret. Partem ita institutam in prisca quidem illa comoedia, quam descripsimus, nondum invenimus, sed tamen radices ejus facile inde derivare possumus. Cum poëta ipse, in hac parte loquatur, vetustiorem eam non fuisse apparet primo vero comoediae poëta. Sed jam huic eam tribuere nihil nos vetat. Sana tamen mens jubet nos credere poëtam eum, qui primus comoediam usque eo αὐτοσχεδιαστικὴν ordinaverit, ipsi sibi magnas in ea partes sumsisse, eum permulta habuisse, quae cum spectatoribus communicaret. Susarionis nomen ut vetustissimi comici traditur. Cfr. schol. Dion. Thrac. p. 748 et quos locos Meineckius com. Gr. I. p. 18 laudet. Recte Meineckius dicit fidem esse habendam his traditis. Ex Megaride (Tripodisco) in vicum Icariorum Susario migraverat. Peregrinus hic Atticis novas formas ostendit easque comprobare studuit, hic choros cultiores instituit, quos ipse duceret, sermones denique finxit, quos ipse recitaret. Habemus fragmentum ei tributum. Nomen auctoris nihil facit ad rem. Fragmentum illud aut vere antiquissimum est aut antiquitatis morem optime imitatur. Certe jubent traditi[1]) versus sui similes fecisse Susarionem. Ipse in iis poëta loquitur; infelicem suam rem familiarem queritur apud populum. Plane apti sunt ad anapaestum parabaseos, qualis olim fuerit necesse est. Jam R. Bentlejus[2]) hoc

1) cf. Meineke com. Gr. vol. II, 1. pag. 1. || Ἀκούετε λεῴ Σουσαρίων λέγει τάδε || υἱὸς Φιλίνου Μεγαρόθεν Τριποδίσκιος. || κακὸν γυναῖκες, ἀλλ' ὅμως, ὦ δημόται || οὐκ ἔστιν οἰκεῖν οἰκίαν ἄνευ κακοῦ . . . || καὶ γὰρ τὸ γῆμαι καὶ τὸ μὴ γῆμαι κακόν.

2) cf Phalarid. Leps. pag. 261 et 262.

vidit, sed statim improbavit suam suspicionem abmonitus trimetro iambico. Idem sensit Kolsterus. Noluerim iis adsentiri de hoc metro. Cur enim illud putant alienum a sermonibus iis, e quibus originem duxisse suspicio sit anapaestus? Quod nusquam in traditis anapaestis illud invenitur, Bentlejus dicit. At hoc nec certo constat, nec quidquam probat. Quod alium hic versus usum habet in comoedia, praecipit Kolsterus. At anapaesticus quoque tetrameter adhibetur saepissime extra parabasin. Mihi quidem videtur trimeter iambicus illis sermonibus aptissimus. (Maxime gavisus sum, cum viderem, G. Hermannum (Jen. Literaturzeitung 1842 num. 122) idem sine dubitatione praecepisse.) Nam et, ut ἰαμβικώτατος, iambicae ideae, quam praebuit prisca comoedia, et ut λεξικώτατος (cf. Aristot. poet. VI.) enarrationi longiori, quae fuerit in his sermonibus, optime inservit. Praeter metrum cum etiam Bentlejus nihil habuisse videatur, quod huic opinioni obstet, audemus illos Susarionis versus primitiis anapaesti (qui postea appellabatur) tribuere.

Ut spatium aut discrimen ne nimium intercedat inter has primitias et anapaestos cultae comoediae, iis mediis interponere licet nonnullos Ecphantidis (Inc. fr. I.) Cratini (Βουκόλοι fr. II) versus traditos, qui legitimo anapaesto aptissimi sint et iidem metro iambico conscripti. Video contulisse quosdam anapaestum cum prologo comoediae Atticae recentioris et Romanae, atque Goettlingium[1]) (qui recte confert Susarionis verba cum parabaseos anapaesto, ceterum autem de omni parabaseos natura et indole perversissima sentire mihi videtur) anapaestum ex prologo quodam derivare voluisse. Equidem puto, cum prologo qui dici solet nihil unquam habuisse

1) cf. Berichte der sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften VIII, p. 22.

hanc partem commune, cum numquam in ea argumentum fabulae exponeretur. Nomen autem prologi huic parti olim in comoedia fuisse atque ita locum quoque in ejus initio, non nego. Neque enim malum huic opinioni auxilium petitur ex loco Aristotelis (poet. V.) τίς δὲ τὰ πρόσωπα ἀπέδωκεν, ἢ προλόγους ἢ πλήθη ὑποκριτῶν καὶ ὅσα τοιαῦτα ἀγνοεῖται. Scripserunt (Ritterus aliique) contra codicum auctoritatem ἢ λόγους. At paullo infra idem Aristoteles Cratetem docet λόγους primum fecisse, ubi constat hoc verbo argumentum vel dictionem vel simile quid significari: cum in loco modo laudato apparatum comoediae externum tractari luce clarius sit. Satis veresimile est προλόγους esse sermones poëtae, quos diximus. At Aristoteles nescium se confitetur, quis illos prologos invenerit: nos Susarionem appellare ausi sumus? — Sed condonamus eis qui hoc nobis objiciant nomen Susarionis quod nihil refert. Num sermones illae poëtae ita, ut dixi quoque dixi tempore, orti sint, hoc videant Viri docti. Argumentum ex eodem Aristotelis libro etiam aliud nostrae sententiae subgerere licet. Dux chori cujuslibet ἔξαρχος τοῦ χοροῦ vel ἐξάρχων τὸν χορὸν nominatus esse traditur. Etiam Aristoteles tragoediam et comodiam ortas esse docet ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τοὺς διθυράμβους et ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὰ φαλλικά (cf. poet. IV. 12). Facile dicere hic potuit ἐξάρχοντας τὴν κωμῳδίαν comodidascalos priscos, qui sermones poëtae a nobis, προλόγους ab ipso dictos ipsi recitarent.

Anapaesti originem si recte constituimus, quomodo haec pars ex comoedia vetustissima, (e chori canticis et sermonibus epirrhematicis composita) ori, hisque se jungere potuerit, id jam patet. Multo difficilior est quaestio, quomodo his cum partibus reliqua dramatica comoedia coalescere potuerit. Brevis ut sim, statim profiteor, haec

(ut mihi videtur) bene aperiri quaestione facili de actoribus priscae comoediae instituenda.

Audiamus quod natura rei et ratio postulat atque caveamus ne tragoediae res ad comoediam transferamus neve cum illa hanc confundamus. De tragoediae et comoediae choro quid omnino sentiamus supra monuimus. Nunc dico, histriones comoediae priscis temporibus a choreutis diversos non fuisse. Exculta enim comoedia, quae sane histriones (ὑποκριτὰς) a choro diversos habuit, comprobare non potest hoc jam in nascente ita fuisse, primum cum causae illae, quae in nascente tragoedia (quippe quae semper certos ὑποκριτὰς habuit) distinctionem actorum effecerunt, ad comoediam vetustam nihil valuerint. Orta est autem in tragoedia illa divisio primum ex indole severa et certa chori cyclii et tragici, qui cum actio dramatica excoleretur jam ex omnibus partibus constitutus, unus et totus dirimi non posset. (Docet hoc cantus et sermo chori universi, qui semper quasi ex uno ore fiant (semper ἐμὲ se dicit chorus numquam ἡμᾶς), docent hoc etiam sermones inter diversos choreutas divisi, qui certum numerum certumque singulorum statum postulant. Non ignoro fuisse qui contenderent, choreutarum aliquem munus interdum actoris tertiarum partium, semper (ubi invenitur) quartarum partium suscepisse. Quod qui fieri potuerit, equidem non intellego.) Contra chori comici lex diu αὐτοσχεδιαστικοῦ et cujus actoribus ἐθελονταῖς suas cuique partes quodammodo ex arbitrio agere atque etiam cum spectantibus verba communicare licuerit, inter se singulos choreutas colloqui nullo modo vetat. (Etiam in culta comoedia singuli choreutae interdum diversas partes habuisse videntur, cfr. Arist. Pac.), quoniam universus quoque chorus saepe ut caterva congregata loquitur (aliis se locis

ἡμᾶς dicit, aliis ad speciem tragōediae ἐμὲ) et quidem variis quasi ex personis, tum ex partibus, quas in fabula agit, tum ex munere scenico.) Deinde choreutae tragici, cum publici instituerentur et munere honorifico fungerentur, cumque non artifices essent sed ex civium multitudine eligerentur, juberi non potuerunt, in tragoedia ab initio optime culta partes dramaticas agere. Neque id choreutae comoediae artificiose fictae poscebantur. Sed munus histrionale artificibus committebatur soli huic studio deditis. Aliter se habebat comoedia prisca: cujus ad partes sine multa arte agendas apti videbantur iidem qui chorum agerent, delecti e vici incolis. — Atqui id solum hinc apparet, necesse non fuisse praeter chorum in comoedia ab initio certi histriones constituerentur. Sed id jam sufficit. Nisi certis causis certisve condicionibus induci non potuerunt ingenia poëtarum ad institutum, quod sine his mirum et curiosius videretur. Repudiat prisca comoedia (incondita quae non habuerit aut scenam aut orchestram rite constructam) legem tam speciosam. Nusquam traditur ab uno histrione (ut tragoedia) incepisse comoedia, neque hoc, (si praestigiatores reliquarum Graeciae gentium, quos supra commemoravi, cum ea conferuntur) in Attica veresimile est. Contra Anonymus de Com. pag. XXXII: „οἱ περὶ Σουσαρίωνα τὰ πρόσωπα εἰςῆγον ἀτάκτως“ docet, quibus statim opponit Cratinum, qui τὰ πρόσωπα μεχρὶ τριῶν κατέστησεν. Quod intellego ita, ut antea personarum numerus non ad certum numerum histrionum (qui mos ex tragoedia postea in cultam comoediam fluxit) redactus sit, sed quot personae tot actores (sc. e choreutis, non veri histriones) exstiterint. Ita fortasse sensum quendam nascitur Suidae commentum de Chionide (v. s. v.), quem „λέγουσι πρωταγωνιστὴν γενέσθαι τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας.“ Hic Chionides,

qui conditor comoediae Atticae fuisse dicitur, et qui vetustissimus est in numero comicorum minus incertorum, comoediam in urbem intulisse (Ecphantides [1]) enim jam in urbe victoriam reportavit) et primus artem excoluisse putandus est. Cum hic ex more tragoediae certos ὑποκριτὰς constituisset, ipse πρωταγωνιστὴς exstitisse videtur.

Si denique quaerimus, quas partes sibimet vetustissimi poëtae in agendis comoediis sumere consueverint, apparet eosdem chorodidascalos coryphaeos actores primarum partium fuisse. Paullatim sane haec numera diversis sunt commissa.

His ex commentis petimus non nihil ad cognoscendam comoediae originem utile. Epirrhemata ab initio diversos choreutas egisse verisimile est, qui universi chori cantu finito ex eo medio prodirent. Jam vero enitebatur idea dramatica, quae ab externis (e Dorica comoedia [2]) illata esse videtur, atque nascebantur scenae et diverbia. Non meum est enucleare, quantum Euetes Euxenides Myllus, Chionides Ecphantides Magnes comoediae novi attulerint, quantum haec ex Megaride Nisaeorum, quantum ex Sicilia acceperit Satis mihi est hoc, coepisse chorum personas varias agere, id quod docent inscriptiones vetustarum comoediarum a chori personis sumtae. Diversas deinde partes singuli choreutae suscepisse, colloquia vel rectius certamina linguarum fecisse videntur. Ita ortae sunt scenae dramaticae. Quae quales ab initio fuerint, ostendunt recentiores comoediae; in quibus singula episodia, monumenta vetusti moris facile agnoscuntur. Expressa enim haec sunt metris va-

---

1) In Aristotelis polit. VIII, 6. commemoratur picta tabula, quam Thrasippus dedicavit Ἐκφαντίδῃ χορηγήσας.

2) Arist. poet. V, 3. τοῦ δὲ μύθους ποιεῖν ἦρξεν Ἐπίχαρμος καὶ Φόρμις· τὸ μὲν οὖν πρῶτον ἐκ Σικελίας ἦλθεν κτλ.

riatis, tetrametris trochaicis, iambicis, anapaesticis; quae metra tum comoediae antiquissima tum aptissima sunt ad iambicam naturam illorum diverbiorum. Videmus autem versus illos semper clausos systemate ἐξ ὁμοίων apto atque ita composita esse quadam arte, quae speciem temporis demonstrat vetusti, quo chorus solus comoediam egerit. Et profecto arcte affixae videntur hae scenae canticis choricis; quod apertissimum est tum, si canticis antistrophicis geminae scenae additae sint et ipsae numero stichorum aequato antistrophicae fiant. Syntagmata haec (quae apte dicit Rossbachius,[1]) ubi de tetrametro anapaestico loquitur) certam necessitudinem habent cum choro, certam similitudinem cum partibus epirrhematicis. Nullus dubito ex his illa orta dicere ita, ut epirrhemati actio dramatica inferretur, ut sermones non jam ad spectatores fierent sed inter diversos actores instituerentur, ut singuli choreutae in his partes diversas susceperent. Etiam postea cum inter histriones hae partes dividerentur, chorus certe primos versus loqui, totum autem diverbium singulari studio sequi atque etiam suis monitis incitare consuevit. Syntagmata, quae formam antistrophicam non accurate[2]) servant, testantur neglegentiam recentioris temporis, quod artificiosam formam paullatim solverit. Scenae quae forma syntagmatis antistrophica plane non compescuntur, non eandem vetustatem indicant sed aetatem illam, in qua partes dramaticae se paullatim ex chori ejusque canticorum auctoritate expediverint. Sed etiam has scenas paullatim coercuit, deinde expulit trimeter iambicus, qui versus diverbio aptissimus recentiorem comoediam totam occupavit. Aptissimi erant

1) Rossbach u. Westphal Griechische Metrik. Lpz. 1856.

2) cf. Eq. 756—940; Nub. 949—1104 et 1345—1452. Vesp. 403—525 etc.

episodiis singulis vetustae comoediae complexus illi variorum metrorum, minus tamen apti fabulae bene compositae et aeque continueque expositae. Simul cum chori canticis etiam varietas illa episodiorum periit. Haec aliena quod est a tragoedia, mirum non videbitur, si respiciemus, numquam in hac chorum diversas egisse partes. Usitata quod est haec metrorum variatio in comoedia, id ita modo explicare possumus, ut choro ab initio diverbiorum actionem vindicemus.

Cum comoedia in urbem migraret et publica fieret, multa ex institutis tragoediae in suum vertit. Quod fieret necesse erat, etiamsi poëtae ipsi id nollent. Nam populus magistratusque [1]) Atheniensis, qui jam magni aestimarent comoediam, honores atque ita etiam mores tragoediae ei communicabant. Certum et publice institutum dabant chorum, praemia ut in tragoedia ponebant, theatrum denique cum tragoedia idem aut simile praebebant. Ita ex more tragoediae in comoedia οἱ ὑποκριταὶ a choreutis separati sunt; atque illis partes omnes dramaticae, choro cantica et sermones epirrhematici dabantur. Epirrhemata quis inter choreutas recitaverit, num coryphaeus an, quod Genellius et Kolsterus censent, duo ex reliquis gregariis certo dijudicare non possum. Sed libenter adsentior viris doctis motus prisco more, qui variis has partes dederit, et diversitate argumenti, qua epirrhema atque antepirrhema saepe differant. Quod autem Kolsterus praecipit de circuitu chori deque contrario ejus statu in his partibus, ita ut epirrhematis actor, dum antephirrhema agitur, in ultimo ordine steterit et contra, uterque autem in sua parte recitanda inter pri-

---

1) ὁ ἄρχων, παρ' οὗ ᾔτουντο χορὸν οἱ ποιηταί et similia habet Athenaeus p. 638 et seq. Hesychius s. v. πορπορέγχει.

mos locum tenuerit, quodque Kockius vult de craspeditis, aut vanum habendum aut melioribus argumentis sublevandum est. Sermones poëtae quos diximus, in quibus ipse poëta verba fecerit ad spectatores, eos aptissime hic agere poterat, dum ipse chorum inducebat.[1]) Quo coryphaei munere cum se abdicaret poëta (videtur tum maluisse primas partes agere [2]); namque histriones saepe appellantur vetusti comici), ita mutavit dictionem hujus partis, ut chorum aut coryphaeum juberet sua ipsius verba laudare et spectatoribus referre. Sed etiam in florente comoedia invenimus anapaestos, in quibus ipse poëta locutus esse videatur. Non Aristophanis Nubes solum (quod Göttlingius alii putaverunt) sed etiam Cratini Μαλθακοὶ fr. I. Eupolidis Βάπται XVI. et Πόλεις VI. fortasse Platonis Παιδάριον I. hoc testantur. Non contendo, ipsos poëtas his in comoediis chorum duxisse et anapaestos recitasse; veresimilius mihi videtur persona (προσωπεῖον dico) poëtae usum esse coryphaeum.

Talia fuisse mihi videntur parabaseos reliquaeque comoediae rudimenta, quae Cratinus accepit atque in bonum ordinem redegit. Anonymus de comoedia in loco, quem jam supra laudavi, tradit: Κρατῖνος δὲ κατέστησε μὲν πρῶτος τὰ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ πρόσωπα μέχρι τριῶν, συστήσας τὴν ἀταξίαν κτλ. Non obstat his verbis (quod Meinekius metuit) Aristoteles, qui se nescire dicat, τίς τὰ πρόσωπα etc. (bis jam laudavi locum). Non invenisse quid novi dicit Cratinum Anonymus, quod ad apparatum comoediae attineat, sed jam inventa tantum in bonum ordinem redegisse. Quod consilii novi ipse Cratinus comoediae intulerit, hoc statim addit: καὶ τῷ χαρίεντι τῆς κωμῳδίας

1) cf. praeconis vocem εἴςαγε τὸν χορόν Ach. v. 11.

2) cf. Suidas s. v. Χιωνίδης. Eustath. ad Odyss. p. 1885, 20. Schol. Ar. Eq. 534.

τὸ ὠφέλιμον προςέθηκε etc. Hoc autem cum Aristotelis verbis, quae externas modo comoediae res tangant non pugnat.

Comoediae formam constituisse videtur Cratinus eam ad legem, ad quam inter comoedias Aristophanis traditas priores et meliores compositae sunt. Dixerit quispiam, ne optimi quidem temporis omnes comoedias ad hanc normam esse confectas. Ab ipso Cratino exstitit comoedia[1]), quae nullam parabasin praebuit. Sed hoc poëtae aëtatis optimi non fecerunt, nisi cogerentur[2]) a consueto desistere, aut quando ex libito, simul vero ex consulto diversum quid a legitima comoedia susciperent (v. c. comoediam fingerent parodicam[3]).

Dramaticae jam partes quamvis praevalerent, partibus tamen parabaticis bonum locum servavit Cratinus. Conjunxit sermonem poëtae (anapaestum) cum una syzygia epirrhematica (nisi jam antea conjungebantur hae partes); inseruit poëma ita constructum mediis comoediae partibus loco aptissimo, ubi quid sibi velit poëta et praesens fabula jam perspectum esset et sperari posset, spectaculo bono oblectatum et calefactum populum libenter et attente auscultaturum esse consilia poëtae intima. Commatio hanc partem cum scena antecedente junxit. Alteram praeterea syzygiam epirrhematicam admisit in posteriore comoediae parte. Complures fuisse in perfecta comoedia demonstrari non potest. Illo tempore, quo primo comododidascali scenam orchestram theatrum occuparent, jam orta sit, an a Cratino

1) Ὀδυσσεῖς cf. Meineke Com. Gr. II, 1. p. 33.

2) cf. Meineke Com Gr. I. p. 35, Bergkius Commed p. 142.

3) cf. Hermippi Φορμοφόροι ap. Meinekium et quod hic Com. Gr. I, p. 92 praecipit.

primo inventa sit lex et ratio, qua chorus usus in partibus parabaticis ad spectatores se vertere (παραβῆναι) solebat, nescio. Neque melius scio quis nomen parabaseos invenerit. Inditum est hoc nomen tum anapaesto cum syzygia conjuncto (παράβασις τέλεια sicorta est) tum syzygiae epirrhematicae soli (παράβασις ἀτελής). Videmus hoc tantum nomine et more τοῦ παραβῆναι conditum et constitutum esse id, quod tum parabasis dicebatur. Nihil totius compescivit hoc nomen, sed contra cognata disjunxit chori cantica, ita ut jam partim in parabasi partim extra parabasin locum caperent. Quorum sane natura inde mutata non est.

Omnino de nominibus, quibus comoediae partes distinctae sint, difficilis fit queestio. Parabaseos nomina constant. Tamen num jam haec omnia, aut quae ex iis hoc tempore orta sint dijudicare non audeo. Speciem sane antiquitatis haec nomina habent et decuit ab initio partes has tam diversas diversis nominibus distineri. Quod attinet ad nomina reliquarum comoediae partium, densae tenebrae oculos nostros certi quid cernere vetant. Aristoteles solam tragoediae nomenclaturam affert, comoediae nullo loco. Nomina autem comoediae eadem tragoediae fuisse, judicium mihi videtur praejudicatum. Occulta nobis sunt nomina comoediae partibus propria, aut (quod verum puto) nullo tempore certa et fixa constabant. Quae enim interdum ei inferuntur, ea comoediae genuina esse non possunt ideo, quod ad ejus partes apta non sunt. Quodsi tamen ab hominibus etiam antiquis iis, qui his in rebus bene docti essent, interdum comoediae alicui parti tribuebantur, hoc fiebat ad similitudinem et rationem tragoediae. Ita bene ad speciem tragoediae nominari potuerunt prologus et chori exodus in comoedia, quodam cum jure stasimum, nec tamen apte

parodus et episodium. Quod cum non bene animadverterent, erraverunt V. D., qui parodum in comoedia investigarentur (quae solis in Ranis ad imaginem tragoediae paullo aptius dici potuerit) atque etiam qui ἐπεισόδιον pro certae in comoedia partis nomine haberent (quod et Hermannus[1]) et A. Meineckius fecerunt).

Studui in hac commentationis meae parte, cum radices parabaseos accurate inquirerem, id praecipue praecavere, ne misceamus quidquid parabasis appellatur, neve ita (quod multi peccaverunt) leviter modo totam quaestionem delibemus et tamen exhaustam eam esse arbitremur. Sed ni falsus sum, quaestio de origine hujus poëmatis etiam plus nos docere potuit, talia dico, quae veram parabaseos indolem atque naturam ipsam jam nobis indicarent. Quare longior fui in his rebus disputandis, quae mihi graviores viderentur. Nec dubitavi, cum omnino ita scriberem, ut rem tractatam, quantum ex traditis facile fieri posset, cognitam acciperem, tum vertere in usum hujus quaestionis multa quasi certa atque explorata, quae in altera commentationis parte ipse accuratius efficere conabor. Quare peto a V. D. ne velint me damnare propter dicta nec tamen comprobata prius, quam etiam quaestiones, quae porro faciendae sunt, patienter legerint.

1) cf. Meineke Com. Gr. II, 2. p. 756 et Jenaische Literaturzeitung 1842 num. 122.

Theses.

I. Nomina certa, quae singulas comoediae Atticae antiquae (praetea parabasin) partes determinarent, aut nulla fuerunt aut ante nostram memoriam perierunt, quae autem nomina nunc saepe iis tribuuntur, haec solam ad tragoediam, non ad comoediam pertinuerunt.

II. Horatii carmen in primo libro duodetricesimum non dialogus est, sed una per totum loquitur umbra hominis naufragio mortui necdum sepulti.

III. Plato cum poësin epicam e Republica excludat, male providet civibus educandis.

IV. Gundicarius, Burgundionum rex, in ea Nibelungiadis parte, quam dixit Lachmannus carmen octavum, alius describitur atque in partibus et antecedentibus et sequentibus.

VITA.

Hermannus Genz, Marchicus, natus sum Friedebergiae anno 1843 die III. m. Junii. Utor patre Augusto Ferdinando, qui nunc est ex consiliis regiis et fungitur munere quaestorio apud tribunal Gubenense, matre Aemilia e gente Senff. Fidem evangelicam confiteor. Literarum rudimentis imbutus sum Arnswaldis opera diligentissima optimi viri Lüdekii. Sub finem anni 1854 Gubenas migravi ibique gymnasium adii, quod tum directore Th. Kockio florebat. Paschali 1862 sustinui examen pro maturitate, usus praeceptoribus viris doctissimis Ge. Wicherto, G. Saussio, E. Richtero, Nimanno, Michaeli, Münschero. Berolinum me contuli, ubi per sex semestria interfui scholis Jll. Boeckhii, Hauptii, Müllenhoffii, Trendelenburgii, Droysenii, Micheletii, Jordani, quibus viris omnibus gratias ago quam maximas.